21.

DEO DUCE

MEDITATIO S. EVANGELII

DOMINICÆ QUADRAGESIMÆ SEU INVOCAVIT.

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia

PRÆSIDE

DN. ÆSCHILLO PETRÆO

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Maji 11. *Anni* 1650.

JOHANNES JACOBI Liliewaan

NAG-FINLANDUS.

(A) *Greg. Magn. Hom. 16. in Evangel:*

Non est indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippè erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret; sicut mortem nostram venerat suâ morte superare.

(B) *Chrisostomus homel. 13. in Math.*

Christus esuriit, occasionem Diabolo tentandi præbens; ut prius ipse congressus, quomodo etiam ab aliis vinci possit, ostenderet.

A B O Æ.

Excudebat Petrus Wald/*Acad. Typogr. Anno* 1650.

Viris Reverendis, Clariſſimis, Humaniſſimis & Doctiſſimis

DN. IACOBO P. Stockholmenſi *Paſtori in* Nagu *vigilantiſſimo, patri ſuo filiali amore proſequendo.*

DN. M. ISAACO I. ROTHOVIO *juniori, Paſtori in* Pargas *meritiſſimo, Fautori ſuo devenerando.*

DN. CLAVIDO C. ALANO *Templi Cathedralis Aboënſis ante hac œconomo attentiſſ. nunc verò confirmato Paſtori in* Korpo *digniſſimo, Fautori ſuo obſervando:*

DN. M. MATTHIÆ L. ROTHOVIO Smolando *Scholæ* Helſingforſenſis *cõrectori indefeſſo, affini ſuo peramando.*

DN. HENRICO E. FORSIO, *deſignato Paſtori in* Karis Lojo/ *humaniſſimo benefactori ſuo honorando.*

DN. LAURENTIO I. Lilie Vaan, *Verbi Divini miniſtro in* Nagu *fideliſſimo, Fratri ſuo germano diligẽdo.*

In grati animi teſſeram Diſputationem hanc Theologicam obſequioſè & officioſè

inſcribit
&
Offert
Reſpondens.

DOMINICA QUADRAGESIMÆ
Seu
INVOCAVIT.

In Sanctæ & Summè Laudandæ Trinitatis, Patris, filii, & Spiritus Sancti Nomine.

SCribitur Levit. 16: 21. *Quod voluerit Deus hircum quendam emitti in deſertum, qui priùs ſtetit coram Domino, ut portaret totius populi peccata.* Erat autem hic hircus per ſortem electus, ut emitteretur in deſertum, & in diſcrimen & periculum conijceretur, ut tandem interficeretur. Hircus hic in deſertum emiſſus inter feras, ab illis dilaniandus, vel alio modo periturus, Typus fuit Chriſti, qui poſtquam in JORDANE fuit baptiſatus & filij Dei proclamatus, mox â Spiritu Sancto ducitur in deſertum, ibiq; quaſi hircus hic ab omnibus deſertus, atq; â Deo rejectus viſus. Fuit etiam hic hircus Typus Paſſionis Chriſti, quando Chriſtus in cruce inter crudeles beſtias, ſuos inimicos eſt vexatus Pſal. 22. Incidit in hoc deſerto, in tentationes graviſſimas diaboli, quas tamen omnes heroicè & fortiter vincit. Voluit autem ſic tentari, ut omnibus tentatis conſolationi eſſet hæc ipſius tentatio. Quod enim Chriſtus eſt tentatus, indè cogitent ſe â Deo derelictos & deſertos non eſſe, quando pij tentãtur, neq; mirentur ipſis talia contingere, quandoquidem Chriſtus ipſe talia paſſus. Quin potius ſic cogitent: Deus meus Chriſtus Jeſus graviſſimas ſubijt tentationes ſine peccato exiſtens, nonnè meũ eſt nõ indignè ferre, ſi ego tentatus fuero. Si Dominus talia paſ-

sus, quare non servus. Si hæc facta sunt in ligno viridi, quare non ejusmodi contingent in ligno arido. De hoc uberius in Evangelio hodierno informamur.

ORemus autem Deum, ut hodiernum Evangelium ita meditari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur. Pater noster &c.

EVANG. Matth. 4. v. 1. 2. 3. &c. ad 11.

TUnc Jesus subductus fuit in desertum à Spiritu ut tentaretur à Diabolo. Et cum jejunasset dies quadraginta ac noctes quadraginta tandem esurijt. Et accedens ad eum tentator, dixit; Si filius es Dei, jube ut lapides hi fiant panes. At ille respondens dixit: Non solo pane victurus est homo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei. Tunc assumit illum Diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit ipsum super pinnaculum templi, dicitq; illi: Si filius es Dei, præcipita te deorsum. Nam scriptum est: quod angelis suis mandaturus est de te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Dixit illi Jesus. Rursus scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Rursum assumit illum Diabolus in montem valde Excelsum, ac commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dicit illi: Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me. Tum dicit illi Jesus Scriptum enim est: Dominum Deum tuum adorabis, & illum Solum

lum coles. Tunc omittit illum Diabolus & eccè angeli accedebant & miniſtrabant ei.

POſtquam Chriſtus in baptiſmo á Johanne adminiſtrato, è cœlo filius Dei proclamatus eſſet verbis ipſius patris dicentis: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacuit, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ ſuper eum deſcendiſſet, mox ab eodem Spiritu Sancto ſubducitur in deſertum quoddam, ut ibi á Diabolo tentetur. Hic cum jejunaſſet quadraginta dies & quadraginta noctes, & incepiſſet eſurire, accedit ad eum tentator dicens Si filius es Dei, dic ut hi lapides panes fiant, cui Chriſtus ex verbo Dei reſpondet, hominem non vivere ſolo pane, ſed omni verbo, quod per os Dei egreditur. Hitce omnibus nihil proficiens Diabolus, ſtatuit Chriſtum ſuper primaculum Templi, vult illum mentione de cuſtodia angelorum ſeducere ad præcipitandum ſe de pinnaculis Templi. Hic Chriſtus itidem ex S. Scriptura regerit: Scriptum: Deum non eſſe tentandum. Sed nec ſic feriatur Diabolus, ſed tertiò aſſumit illum in montem valdè Excelſum, ubi ei omnia regna mundi commonſtrat, eaq; ei promittit, ſi proſtratus Diabolum adoret. Quod vero cum Chriſtus audit, dixit: Abi Satan Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. Ita tertio victus Diabolus, confuſus diſcedit, & angeli accedunt & miniſtrant Chriſto.

Confirmatur ſecundo fidei noſtræ articulus ubi credimus Jeſũ Chriſtũ eſſe Dei & Mariæ filium, quod in hoc Evãgelio probatur, quod Diabolum vicit, quod ſolus & merus homo facere non Poteſt. Commonitionem habemus quam neceſſaria ſunt ſexta & ſeptima petitio Ne nos inducas in tentationem. Si Diabolus Chriſtũ ten-

tavit utiq; audet & nos tentare. Opus est Ergò præcatione, quâ eum repellere possumus".

PARTES.

1. *De tentationibus quibus Christus â Diabolo tentatus est.*
2. *De victoria Christi, quam â Diabolo in his gravissimis tentationibus reportavit.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice brevitèr & simplicitèr tractare constituimus": *Omnipotens & æternus Deus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utilitèr & fructuosè cedere faciat.*

PARS PRIMA.

In qua meditamur:

I. Tempus harum tentationum.

Quod indicat S. Matthæus dicens: Tunc Jesus subductus fuit â spiritu in desertum: videlicet post susceptum baptismum. Postquam patris cœlestis voce cælitus audita, in mundi salvatorem inauguratus esset, & S. Sanctus invisibili specie super eum apparuisset, tunc â spiritu ducitur in desertum.

L. C. 1. Sicut Christum Diabolus maximè tunc tentavit, postquam baptizatus esset, & filius Dei proclamatus: Ita Diabolus omnes pios & Dei filios maximè infestat, omnibus quibus poterit modis, vexat. Habet enim iram magnam adversus omnes eos, qui piè vivere volunt in Christo. Hos coram Deo accusat, hos ventis hos igne, flaminibusq; internecioni dare studet Jobi. 1. Matth. 8. Hæc pij cogitabunt, & ad resistendum ei, se pijs precibus & verbi Dei auditu parabunt.

L. C. 2. Post

L. C. 2. Postquam Christus ad fungendum munere Messiæ solenniter vocatus fuit, habet sibi Satanam maximè infestum, interea verò cum Christus ut parvulus apud suos parentes degeret tentat? fuisse nõ legitur; ita Diabolus non acriter & vehementer se hominibus plebeis opponit & inferioris conditionis, quia per eos non potest ita impedire Dei gloriam, publicam utilitatem, pacem & tranquillitatem hominum, animæ salutem; sed hic valde laborat, ut columnas Ecclesiæ, eos qui præsunt in republica, in Ecclesia; evertat; Si illos poterit evertere & seducere â Deo, ad horribilia peccata, ad falsam doctrinam, tũ scit se regno suo plurimum prodesse, ideoq; superioris conditionis hominib? vigilandũ est & orandũ ne incidant in tentationem. Satan suggerebat Davidi ut populum numeraret. 1. Paral. 21:v.1. Etiam illum ad adulterium & homicidium perpetrandum seduxit. 2. Sam. 11. Aaronem ad faciendum idolum excitavit, Exod. 32:4.

II. Divinã permissionẽ Christ6

â Diabolo tentatur non quemadmodum Diabolus, vult & ubi ille vult Christum tentare, sed quemadmodum Dei voluntas erat. â S. Sancto ducitur ad tentationes sustinendas. Nec alio fine tentatur Christus & tentari permittitur, quam ut Deo inde magna contingat gloria, ut eventus docuit, & ut omnes Christi servi & milites haberent exemplum patientiæ, ut sciant se victoriam habituros in Christo, qui Diabolum vicit. Iudicatus (inquit Christus) Princeps hujus mundi, & in me habet nihil Hebr. 5.4. v. 14. 15. 16.

L. C. Homines pii cum tentantur aliquando varijs tentationibus, non cogitabunt sine Dei permissione id fieri non sine positis â Deo metis & terminis quousq;

ten

tentare eos Satanæ licebit. Illorum itaq; tentatio, non ſic permittitur Satanæ, ut pro lubitu cum ijs agat, ſed termini præſcribuntur. Quod ex tentatione Jobi apparet. cap. 1. Utilitates tentationis videantur. Syr. 34: 11. Eſai. 28:19. 1. Pet. 4: 16. 2. Cor. 12: 8. 9. & ſequentibus Jac. 1: 12.

III. Locum tentationis.

Is Deſertum eſt, ſive illud quod inter Hieroſolymam & Hiericho, ſive aliud quodcunq; magnum & horribile ab omni habitatione remotum, ubi nihil præter feras, arbores, ſaxa & montes, Marc. 1: 13. Typus hujus extat Lev. 16: 21. Sicuti in introitu diximus.

L. C. Deus finit nos tentari in deſerto. Quamvis non ducit nos in ſylvam, tamen ita nobis omnia horrida apparet ut nihil ubiq; terrarũ appareat ſolatij. Omnia obſcura ſine luce. ut & cujvis hominis converſatio non magis quam ferarum nos delectet. Extra nulla amplius nobis oritur delectatio & jucunditas. Hoc cum accidit, cogitemus idem Chriſto accidiſſe, & ut ille ex hoc horribili tentationis deſerto liberatus: ita & nos per eum liberabimur.

IV. Ipſas tentationes.

Quarum *Prima* eſt diffidentiæ ſeu dubitationis. Quâ Diaboſus Chriſtum ad diffidentiam impellere vult, ut dubitaret num eſſet filius Dei. Dubitaret autem exindè, quod tot diebus & noctibus jejunaſſet, nec quicquam in manibus ad edendum eſſet. Vult itaq; perſvadere Chriſto, ut prætermiſſâ illâ opinione, quod eſſet filius Dei, ipſe ſibi proſpiceret, nihilq; á Deo peteret. *Altera tentatio*, qua Diabolus Chriſtum tentat eſt audaciæ: vult ad præſumptionem & nimiam confidentiam, ipſum ſeducere, videlicet,

ut

ut præcipataret ſe deorſum de pinnaculis Templi. Hæc ut perſvaderet Chriſto callidiſſimis tentator, etiam S. Scripturâ utitur Pſal. 91. de cuſtodia angelorum, quod portaturi ſint pios manibus ſuis, ne impingant pedem ſuum in lapidem. Quæ citatio Scripturæ notanda eſt, & deceptio Satanæ in excludendo illud, in quo nervus hujus promiſſionis conſiſtit, videlicet, in vijs tuis. Potuit enim Satan facilè colligere hanc Scripturam integrè citatam, eſſe contra intentionem, ſuâ non enim erat via Chriſti in pinnaculis Templi, ut ſe indè præcipitaret. *Tertia tentatio* eſt avaritiæ & voluptatum hujus mundi, promittit Chriſto regna hujus mundi, & gloriam illorum, ſi proſtratus adoraverit ſe.

L. C. Notanda iterum Diaboli impudentia, dum ſibi arroget poteſtatem diſponendi de imperijs, reges deponendi & ad imperia evehendi, hæc autem ipſius Dei ſunt. Dan. 7. Nota enim quod diabolus vult adorari, & quo utitur medio ad perſvadendum hominibus ut ſe adorent, videlicet hoc putat eſſe palmarium ſi offerat divitias & regna mundi. Tentat enim Diabolus, an hoc modo Chriſtum decipere poſſet. Quid eſt aliud quod hominem primum â Deo deficere fecit, quam diabolica promiſſio gloriæ ex illa ſapientia, quâ Deo ſimilis fieret, ſi ille ex vetito fructu comediſſet? eritis (inquit) ſicut Dij. pecuniæ oblatione Judam decepit ad prodendum Chriſtum.

Hæc ſunt tres illæ tentationes, quibus Satan Chriſtum tentavit, unde nos hoc obſervamus eſſe veterem illam Satanæ aſtutam & verſu tam, quod pauperes & in egeſtate conſtitutos tentare ſtudet, obijeciendo Dei oblivionem & deſertionem, ut putent ſe â Deo non diligi, Deũ non habere illorum curam, non ſperandam eis â Deo

gratiam, non esse eos Dei filios, si n. essent, non permitteret eos penuriam sic pati. Si enim id non facit aliquis pater terrenus, quomodo potest hoc Deo pati qui bonus est, ut illius parvuli non accipiant quid petant. Meminerint pij non esse has cogitationes â S. Sancto, sed ab ipso Diabolo.

Ad tales cogitationes respondebimus ei: Non in solo pane victurus est homo, sed ex omni verbo Dei, quod egreditur ex ore ipsius; Deus habet multos modos alendi, si non hac, utiq; aliâ viâ sustentat. Cum tentamur ad præsúptionẽ, ad periclitandũ fortunã in casu nõ necessario, meminerimus Deum non esse tentandum, non amanda pericula, habemus custodiam angelorum, sed in vijs nostris, quod enim Deus homines quosdam præsumptuosos aliquando in vijs non suis conservat, est longanimitas Dei, & divitiarum bonitatis ejus opus, qui exspectat pœnitentiam nostram, alias enim, qui amant periculum peribit in eo, Syr. 3.

L. C. 2. Cum cogitationes incidunt de acquirenda mundana gloria, divitijs, dignitatibus, dominatione; cogitemus hanc cogitationem â Diabolo esse. Est enim calliditatis Diaboli opus, ut decipiat nos ad adorandum se, ut quidvis audeat homo, non curet quid faciat, Deo sit gratum vel ingratum, placeat vel displiceat, pergunt, per fas & nefas corradere opes, ambire dignitates. Absalon in hac cogitatione incidit in casses Diaboli appetens regnum patris sui Davidis, & ei hoc auferre pergit 2. Sam. 28. In talibus tentationibus & cogitationibus introeam in cubiculum nostrum & oremus: pater noster qui es in cœlis, ne inducas nos in tentationem sed libera nos â malo, tuum est regnum, potentia & gloria in secula seculorum. Tuum est exaltare & humiliare, qui vero seipsum

pſum extollit humiliabitur. Omnes qui magicas artes exercent, qui magos conſulunt, diabolũ adorant propter gloriam hujus mundi, & venturi ſeculi privantur gloriâ.

SECUNDA PARS.

Quot tentationibus Chriſtus â Satana ſit tentatus in prima parte vidimus; in hac ſecunda victoriam Chriſti glorioſiſſimam aſſpiciemus.

In qua meditamur:

I. Quomodo Chriſtus vicit

primam tentationem hiſce verbis: Si filius es Dei dic ut lapides iſti panes fiant? Chriſtus occurrit ex verbo Dei oſtendẽdo non eſſe uni cum mediũ ſuſtentationi, panem ſed Dei verbum & divinam benedictionem: Non in ſolo pane vivet homo. Ex Deut. 8. hæc verba deſumpta ſunt ubi ſic legitur: afflixit te (inquit Moiſes ad populum Iſraeliticum) penuria (Dominus) & dedit tibi (poſtea) Man, quod ignorabas tu & patres, tui, ut oſtenderet tibi quod non in ſolo pane vivat homo ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. id eſt: Dominus in deſerto permiſerat ut aliquandiu fame affligeremini, cum iam cibus quem ex Ægypto extuleratis, conſumptus eſſet. Sed quia Deus juſſerat vos ex Ægypto egredi Dominus verbi ſui memor, quo evocaverat vos in deſertũ haudquaquam fame vos in deſerto perire ſinebat ſed potius Mannam (panem de Cœlo) dabat, cujusmodi cibum neq; vos, neq; majores veſtri unquam antea videratis. Ac voluit Dominus hoc ipſo docere quod tanti faciat verbum ſuum, quo alicui vocationem aliquam demandat, ut potius ſupernaturali modo eum cibet ac conſervet, quam

ut fame eum in ſua vocatione perire ſinat, etiamſi omnia externa media deficiant.

L. C. verbum Dei probè diſcendum, hinc arma militiæ noſtræ ſunt deſumenda, non enim carnalia juvant quicquam Chriſtianum adverſus Diabolum; Verbo Dei tanquam Dei potentia deſtruimus munitionem & omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. & redigimus in captivitatem, omnem intellectum in obſequium Chriſto. Ita in carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus 2 Cor. 10. 3. 4 5. vide, Eph. 6:13 14. 15. 16 17 18.

II. Quomodo vicit tentatione alterâ.

Itidé ex verbo Dei cũ Satã dixit: præcipita te deorſum, angeli te cuſtodient, Dixit Chriſtus: Dominum Deũ tuum non tentabis Deut. 6. Scio quidem (inquit Chriſtus) pijs hominibus datos eſſe angelos cuſtodes: Sed tum cum in ſua vocatione maneant, neq; Deum tentant, ea temerè agentes quæ Dominus nec fieri vult, neq; promoturum ſe promiſit.

L. C. Obſervandum quod Chriſtus Scripturam per Scripturam interpretetur, idem faciamus & nos, ut ex collatione Scripturarũ verã & germanã ſententiã eruamus & retineamus, contra pontificiorum & aliorum ſectariorum corruptelas & Sataniæ tãtationes? Etſi a ſcriptura ſæpe eſt vera, tamen ſententia, quam Satan ſcripturæ interdũ affingit, non eſt vera. Cavendum autem ne tentemus Dominum Deum. Tum enim Deum tentamus cum in actionibus qualibuscunq; noſtris, ordinaria viam deſerimus, & eam ingredimur, quæ vel à Deo prohibita eſt; vel non habet promiſſionem auxilij Divini.

3. Quo-

III. Quomodo vicit tentationẽ

tertiam. Tentavit Satanas Christum ostendendo regna huius mũdi, & gloriã illorũ, pollicetur illa Christo, si se adorat Repetit iterum Christus Scripturam, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies Deut 16. addit quoque hoc verbo: Vade Satan, quasi diceret: abi in malam rem, imò in infernum Spiritus nequam. Et sic Christus cum magna indignatione Diabolum repulit, quod tam contumelioſus in Deum esset & se pro Deo adorari vellet.

L. C. Magno utiq; Zelo nos ardere oportet cum audimus blasphemias in Deum: Nobis vero privatim illatas contumelias æquo animo feramus, Memores autem hujus dicti: Dominum Deum tuum adorabis, Deum timeamus & unicè colamus, neq; ab hujus Dei legittimo cultu vel opib⁹ vel gloria, vel potentia mundana unquã nos abduci patiamur: hic n. nobis regnũ cæleste & æternũ dabit.

VI. Ejus pugnæ exitus Discedit tentator, ad mandatum Christi: Vade Satanes, Satã discedere cogitur plen⁹ confusione & ignonimia. Sancti angeli ministrant Christo, lætentur & cum Christo canent triumphum.

L. C. Angeli lætantur piorum victoriâ & triumphis de Diabolo. Lætantur angeli de conversione peccatorum Luc. 15. Angeli ministrant Christo E. Christus est angelorum Dominus. Heb, 1: 4.5.6.7.8.9. Hæc autem in nostram consolationem scripta sunt, ut sciamus & nobis fortiter contra satanam dimicantibus, adesse angelos, custodes nostros, simul dimicantes, & plures esse angelos nobiscum, quam sunt Diaboli, & majorem ipsorũ quã Diabolorum potentiam esse, sicuti historia Elisæi testatur 4. Reg. 6. Angeli enim sunt administratorij spiritus,

qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis Ebre. 1. Discimus hoc loco nunquam defuturũ illis auxilium Dei, qui satanæ tentationibus constanter resistunt. Christus noluit tentare Deum patrem, sed perseveranter erga illum fiduciam retinuit. Noluit per viam temeritatis angelorum experiri ministerium, & curam erga se patris, atq; adeò recte devicto tentatore ministri angeli paternæ curæ testes accesserunt, Sequamur exemplum Christi, ne per consilia Satanæ voluntatẽ Dei experiamur, nevè ministerio Satanæ gloriam & potentiam hujus mundi affectemus. Sed constanti fide Domino adhærentes, per illius gloriam verè & cum felicitate multò potiora consequamur, quam quæ satan impostor falso cultoribus suis pollicetur. Promiserat Christo si se adorasset, principatum in homines sed eceè, promissionem tentatoris respuenti accedit ministerium angelorum.

PAter cœlestis misericors Deus, qui nobis in consolationem filium tuum dilectum, in deserto pane, falso verbi tui intellectu, & apertè idolatriâ tentare voluisti. Quæsumus da nobis Spiritum tuum Sanctum, ut cum & nos â Diabolo similibus tentationibus vexamur, neqnaquam inimico cedamus, sed tibi & tuo verbo constanter adhæreamus, & filij tui Domini nostri IEsu Christi exemplo & adjutorio Satanam superemus, qui & cum S. Sancto vivit & regnat Deus per omnia secula, Amen.

BEnedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7: 12

QUÆSTIONES.

I.

AN ex hoc Christi jejunio rectè astruatur â pontificijs, jejunium quadragesimale? Neg:

Vetus est quadragesimalis jejunij observatio inter

chris

Christianos: Primũ per inconsultam quorundam religiosorum imitationem ex Christi facto desumpta. Deinde mandato quoq; Rom. Pontificum, sub prætextu divino roborata. Itaq; de utroq; videndum est. Quod ad exemplum Christi attinet, adferunt Tritum illud. Omnis Christi actio est nostra instructio. Deindè subjciunt & jejunium 40. dierum est Christi actio, atq; ita concludunt. E. Jejunium quadragesimæ est nostra instructio. Unum Christum quæreremus ex animo & ex illo uno veræ pietatis normam statueremus, sed secũ, dũ scientiã: verũ est quod dicunt omnẽ Christi actionem esse nostram instructionem: Verum enim est jejunasse Christum dies quadraginta, nec hoc falsum est, factum hoc Christi habere undè instruamur. At interea observandum erat, quid in hoc Christi facto sit principale, quid accessorium. De quo jam dicimus. Deinde quid in illo tale sit, quod ad instructionem nostri faciat, & imitabile sit, neq; enim omniâ quæ Christus fecit, talia sunt, quæ vel possimus, vel debeamus, etiam imitari. Aliud est instrui ex facto Christi, & aliud factum illius quodlibet imitari. Proindè, quod omnis Christi actio nostra dicitur esse instructio, non idem est, Atq; sic diceretur, omnis Christi actio est nostra imitatio. Habet hoc factũ longè potiora, & magis ad pietatem facientia, quæ imitemur, quam sit jejunium hoc quadraginta dierum, cur illa negligimus?

21. *Quare Diabolus Christum sustulit in Sanctam civitatem & non potius in rupen aliquam deserti ê qua se præcipitem daret?*

Astutè hoc factum est, sciebat Diabolo adesse tempus Messiach in lege promissi, nec videbat hominem in quem magis

magis illius poſſet cadere ſuſpicio quam hunc Jeſum. Cogitabat: Tentabo, num cauſæ hujus aliquam liceat acquirere certitudinem. Prima via non effectum aliquid videbo alia. Experior an virtutem filij Dei ſit demonſtraturus, inani gloriâ Ductus, libentius & cupidius in urbe Jeroſolymorum populoſiſſima, & quæ regni ſedem ac templum Dei habet, quam hic in loco deſerto ab omnium mortalium convictu ſemotus. Sentio me nihil hic effecturum. Quærendæ ſunt occaſiones, quæ hominem alliciant. Ducam itaq; illum in urbem celeberrimam, ubi ſedes habetur regni, ſtatuamq; ſuper pinnaculum templi, ſublime illud & celeberrimum, & ſvadebo, ut hinc ſe præcipitem det, ſpe ductus obtinendi regni, id quod certè faciet, ſi pro filio Dei & Meſſiah haberi voluerit.

Talis erat etiam nimirum ex Spiritu malo & tentatore, ſuggeſtio fratrum Chriſti, quæ Joh. 7. ad hunc modum legitur. Tranſi, hinc. id è â loco obſcuro, ubi non potes magni fieri) & vade in judæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis, Nemo quippè in occulto facit aliquid, & quærit ille palam eſſe. Si hæc facis declara teipſum mundo. Hoc aſtu Satan videtur Chriſtum non in rupem aliquam deſerti, quod facile potuiſſet, ſed ſuper pinnaculum Templi tentaturus collocaſſe. Chriſtus autem Diabolo contradicit & reſpondet: Si ambula vero juxta mandatum Dei, benè ſcio me angelorum præſidio munitum eſſe, ut me cuſtodiat. Ita cum puer (inquit Lutherus) pueriſem, obedientiam præſtat, parentes, famuli, vocationi ſuæ ſerviunt, cum periculis circumveniuntur. Deus per angelos ſuos eos tuetur & liberat. Cum veré hæ vias non inſiſtunt, nullam de angelorum præſidio promiſſionem habent. Verum in poteſtate Diaboli ſunt, qui ipſo pro ſuo libidine Vexare poteſt: neq; hoc ſine ſua culpa. Non enim alias aut novas vias ingredi debebant. Nam id eſt Deum tentare.